



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 52. Tantatur Græcorum reconciliatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

ante festum S. Clementis duodecimo Ca-
 lendas Decembres Castri Gontherii pro-
 vinciale concilium celebravit: ubi edidit
 duodecim canones, quorum plerique, ut
 illi, quos cætera ejusdem temporis Con-
 cilia condebant, tendunt ad jurisdictio-
 nem ac bona Ecclesiæ conservanda, &
 ad reprimendas juris sacri usurpationes
 ac violentias contra Præsules & reli-
 quum Clerum. Pro sex diebus domini-
 cis ibi designatis prohibetur divinum
 sacrificium in facellis domesticis: & agi
 jubentur mandata plurium ejusdem pro-
 vinciae conciliorum, nempe Salmurii an-
 no 1315, Nannetibus, an. 1264, Castri
 Gontherii an. 1268, Rhedonibus anno
 1273, ac Bituricis habitorum; utpote
 quorum decreta parum curarentur. At
 non nisi eadem proponuntur poenæ, ni-
 mirum censuræ tantum in contemptum
 adductæ.

Sæcul. XIV.
 A.C. 1336.

to. II. Conc.
 p. 1842.

§. LII.

Tentatur Græcorum reconciliatio.

Eques Stephanus Durinus Dandalus
 hæc ad Papam retulit: Cum essem a-
 pud Imperatorem Andronicum Palæo-
 logum, coram eo & aulæ Primoribus
 dixi Papam audiisse cum gaudio Græco-
 rum voluntatem redeundi ad Romanam
 Ecclesiam. Andronicus ex Procerum
 consen-

Rayn. 1337.
 n. 31.

Sæcul. XIV. consensu reposuit, Græcos omnes con-
A.C. 1336. cordiam cupere paratos agitare hujus
 consilia, & Neapolim mittere Nuncios,
 siquos etiam Papa illuc legaret: nam in
 Rege Roberto se confidere. Addebat,
 si ipse & Græci se in errore aliquo
 versari cernerent, eum esse deposituros.
 Igitur Papa litteras scripsit ad Androni-
 cum, quem ibi non Imperatorem, sed
 Moderatorem Græcorum nominat, ne
 officiat Latinorum juribus ad Impe-
 rium Constantinopolitanum. Hortatur,
 ut consideret emolumenta sacra & pro-
 fana Græcis obventura ex reconciliatio-
 ne cum Romana Ecclesia: oratque, ut
 mature Nuncios hoc fine Sanctam ad Se-
 dem mittat. Dabat 17 Jan. 1337.

Ducange
Famil. Byz.
p. 238.

Rayn. n. 33.

Papa, si hoc negotium aliena in aula
 tractaret, id se non ex dignitate sua factu-
 rum ratus, eodem die per litteras roga-
 vit Regem Robertum, ut se ita inter-
 poneret, ut Andronicus Legatos suos ad
 aulam Romanam mitteret. Sed Nea-
 poli quam Avenione plus commodi &
 libertatis fuisset Græcis. Papa scribebat
 etiam hac de re ad Imperatricem Joan-
 nam, quam Græci Annam nominabant,
 Andronici conjugem, Sabaudiae Comi-
 tis filiam. Cum orta sis stirpe catholi-
 ca, inquebat, tuum est ad efficiendam
 hanc concordiam conniti tum per te
 ipsam

ipsam, tum per maritum liberosque tuos. Sæcul. XIV.
A.C. 1337.
Sed id consensionis consilium effectu caruit, quia Latini, cum inter se dissiderent, haud poterant Græcis mittere subsidia contra Turcas promissa. Hoc enim n. 34.
J. Vill. l. II.
c. 68.
anno 1337 coeptum est longum funestumque bellum inter Venetos ac Genueses.

§. LIII.

Decimæ in usus profanos aversæ.

Interim Rex Philippus Valesius semper propositum belli sacri præseferens, hoc C. Nang.
p. 767.
Vit. PP.
p. 224 817.
ipso anno inspectis regni sui partibus longinquis ad Papam Benedictum se contulit cum suo filio Joanne Normanniæ Duce. Avenionem attigit 3 Martii die memorabili ob defectionem solis anno 1336, scilicet anno 1337 ante Pascha. Papa & Rex remotis arbitris consultabant de itinere transmarino, quod anno priore Calendis Augusti fuisset ingrediendum. Postea Rex Massiliam petiit, ut ibi & S. Ludovicum Tolosanum ad ipsius sepulchrum coleret, & classem ad maris transitum parari jussam inspiceret.

Angliæ & Galliæ Reges decimas ad bellum sacrum, quod non inibant, ab utriusque regni Clero sibi solutas impendebant